

/ Admodum R/de et eruditissime Domine, ac frater in Christo Jesu  
dilectissime, Amor, quo me prosequeris, facit, ut omnia mea diligas  
et alicujus momenti esse censeas. Revera autem dictata illa mea in  
Summa Sancti Thomae imperfecta, et mutila, et nulla ex parte luce  
5 digna mihi esse videntur. Imperfecta sunt, quia non omnia continent,  
quae ego ex cath<sup>e</sup>dra docebam, sed summam tantum brevem. Mutila sunt,  
quia deest magna pars ad initium primae secundae, et maxima pars  
ad finem tertiae partis. Non sunt etiam luce digna, quia sunt dic-  
tata hominis juvenis, et qui simul docebat in scholis, et concio-  
10 nabatur ad populum, quorum munerum utrumque totum hominem requirit.  
Et quoniam fidem habui verbis tuis, et timui, ne, me etiam invito,  
aliquis impressor ista mea dictata publicare velit: adii Pontifi-  
cem, et petii, ut pateretur me nomine Sanctitatis suae, scribere li-  
tteras ad R/mum Nuncium Apostolicum istic Coloniae degentem, eique  
15 mandare, ut sub excommunicationis poena injungeret omnibus typogra-  
phis istius Civitatis, ut nemo auderet mea scripta in summam S/ti  
Thomae, me inconsulto, et non permittente, typis mandare. Te autem  
amantissime frater, rogo, ut alligatas litteras ad R/mum D. Nuncium  
deferre ne graveris. Vale, et me, ut facis, amare perge, et Domino  
20 Deo nostro sanctis precibus/tuis commenda. Datum Romae die 16. Apri-  
lis 1617.

~~Archiv. Vat.~~

---

Archiv. Vatic. Gesuiti 22 epist. CLXXX.